



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in
perennaturam Virtutum memoriam incisa**


Conlin, Johann Rudolph

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI

VD18 10209328

No. XI. Laurentivs Corsinus Florentinus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)



No. XI.

LAURENTIUS COR- SINUS FLORENTINUS.

L aurentius tit. S. Petri in Vinculis Cardinalis Corfinus Florentinus natus est ao. 1652. septimo Aprilis ex illustrissimâ Corfinorum familiâ, quorum celeberrimum apud Florentinos nomen. Inde Religio & sapientia insignes alumnos invenere, quos innocens laurus & vitæ integritas rebus humanis altè supervexerat, & in altissimo gloriæ solio collocatos mundo spectabiles reddebat. Petrus Corfinus sacræ Themidis doctissimus affecta ao. 1363 ab Urbano V. legatus in Germaniam missus est; legationis cum summâ integritate obitæ proemium purpuram tulit, quâ insignia viri merita idem Urbanus ao. 1378 condecoravit. Is equidem, ut sui perpetuum monumentum exstaret, vitam Pontificum admirabili stylo conscripsit, planè insigni illo tractatu de Ecclesiâ, & literato orbe multum meritis. Nereus Corfinus Apolliticæ Cameræ thesaurarius, Pontificis in regno Galliarum nuntius, legatus Ferrariensis, archiepiscopus Damiatæ in Syria, & episcopus Arretii in Hetruria, cum scientiarum apex esset, ab Alexandro VII. ao. 1666 eandem purpuram obtinuit. Verùm à nemine magis illustrissima Corfinorum familia se nobilitatam, & posterorum immortalitati consecratam hucusque vidit, quàm à Divo Andrea Corfino, sacræ Carmelitanæ familiæ coelestissimo viro. Hunc precibus à Deo piissimi parentes impetraverant; & ne ingrati essent, mox magnæ matri dicarant. Ergo à Deo datus, & coelo hæc adoptione veluti redditus non poterat non maximus evadere. Sacræ Carmelitanæ familiæ institutum amplexus, ad Ecclesiam Fesulanam regendam evocabatur; sed latendi studio vir humillimus aufflegebat. Cum ei nihil gravius videretur, quàm honores portare, quibus si humeros plusquam Athantæos supponeret, nihil tamen satis dignum pro tantæ muneris magnitudine se acturum, vir humillimus sentiebat. Verùm ecce! prodigiosa pueri voce proditus, è latebris excedere cogebatur. Quid multis? Angelus inter homines versatus, tam denique sanctam vitam agebat, ut ab Urbano VIII. Sanctorum fastis adscriberetur. Ejus corpus in Ecclesiâ sui ordinis Florentiæ quiescit, ut magnifica Florentinorum urbs ex vivis Corfinis perpetuò haberet, quos admiraretur, ex mortuis, quos invocaret. Enimvero novum orbem invenerit Americus Vesputius Florentinus, & ex suo nomine dictam Americam, immortalitate facinus consecutâ, jactet. Planè non minùs felicem Florentia se sensit, cum civis progenuit, qui meritis astra scandebant, quam ubi novum, nec tamen non nisi terrestrem orbem suis apertum inaudit; Sed vetera hæc sunt decora; descendendum etiam ad nova, quæ in Eminentissimo nostro Purpurato Laurentio Corfino quàm cumulatissimè reperiemus. Est is mitissimi ingenii Princeps, in populi favore summus, quem beneficentiâ in omnes largiter exercita promeretur; cum etiam magnatum animos exquisitissima humanitate in sui admirationem & amorem rapiat; neminem denique in totius Italiæ ambitu reperire est, qui de tanta virtute non optimè sentiat. Cum nihil humile faciat, humilitatem tamen vir integerrimus excolit, & laudabilia facere assuetus laudem detrectat. Literas amat; nec enim Apollo musas de-

de-

despicit. Denique super omnia in hoc Principe religio est; hanc semper ut certissimam anchoram intuebatur, quâ lassatam multis difficultatibus navem fortiter susteret; hâc veluti præceptrice in gravissimis Sacræ Reipublicæ exantlandis negotiis à vero tramite nunquam exerravit; nec etiam Antistes integerrimus exerrare potuit, cum sacra Religio lucidissimam faciem eidem ubivis præferret. Antequam Sacro Purpuratorum collegio adscriberetur, Apostolicæ Camera thesaurarium agebat, fidissimus thesauri custos, quem paterna Pontificum cura in totius orthodoxi orbis emolumentum plerumque dispensat, aut in bella adversus infideles gerenda grandes summas expendendo, aut in sacras missiones in utroque orbe obeundas, pene innumerabiles pecunias subministrando, aut proposito etiam pretio maxima orbis ingenia licitando, aut in publica aedificia & templorum structuras copiosissimas opes effutiendo, aut etiam in nosocomia, xenodochia, & adelphotrophia integra gazophylacia exhauriendo. En orbis! quos in usus Roma Sancta tuas denique pecunias expendat; ut oceani instar sit, qui recepta intra se flumina per subterraneos denique meatus multiplicato fœnore in orbem revehat. Ao. 1704. Illustrissimus Corsinus à Clemente XI. in ducatum Ferrariensem ablegatus est, gravissimam litem, quam Cæsarei duces Pontificiis movebant, suâ prudentiâ discussurus, difficillimam nactus provinciam; cum plerumque, ubi Mars dictator obstreperit, legum apices parùm attendantur. Ao. 1706. Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus adlectum se vidit; nam Clementi XI. à suis virtutibus luculenter commendatus, Corsinum etiam Hetruriæ principem, alterum illum, si sapientiam spectes, Salomonem, pro se intervenientem habuit, à quò commendatum fuisse, eminuisse erat. Tota Florentia, magnifico Corsinorum nomine dudum capta, novam felicitatem sibi enasci credebat, cum hanc Stellam, patrio rutilantem lumine, Romanis in astris repositam vidit. Idem etiam Eminentissimus Purpuratus Nicomediensem in Asiâ episcopum diu antea nuncupatum se vidit; planè eximius ejus, quò in sacram religionem fertur, Zelus, ultra vastum etiam oceanum charitatis alis extenditur. Quàm ille avido volatu archipelagum transvolaret, suam aliquando Nicomediam amplexurus, & transmissio Helle-sponto, alterius Alexandri instar sacrum osculum Asiaticæ telluri fixurus, si Christianas classes felix anchora ad Asiæ oras susteret? Ao. 1707. 15. Julii Theaurarii munere se abdicavit, Solis divinis intentus; nec alios, quàm quos ex virtute sibi pararet, thesauros curans. Ao. 1709 cum prudentiam huic muneri parem, & admirandam in negotiis feliciter conficiendis dexteritatem possideret, Pontificis legatus Ferraram destinabatur; eam tamen dignitatem, infirmitatis molestiâ tunc equidem vexatus, princeps humillimus à se deprecabatur. Cui Maximus vir Michaël Angelus de Comitibus, postea sub nomine Innocentii XIII. Pontifex maximus in eâ provinciâ substituebatur, ut ex magnitudine successoris sui dimetiretur, qualis quantusque ipse denique foret. Ao. 1714 Academia doctorum Quirinalis eum in perpetuum præsidem & Protectorem suum adoptavit; nec immeritò illa sapientiæ sydera ad hunc Phœbum respiciebant. Sic sacer ordo servorum Mariæ ejus non minùs protectionem imploravit & obtinuit; nam quid Parthenius Cliens Mariæ servus negaret? Idem P. P. Franciscanos, quos Minoritas indigitamus, munificentissimus benefactor & Protector clementissimè fovet; quem in suos beneficentissimè impensum favorem Franciscus pauper, humilis; sed Divus Coelum ingressus multiplicato fœnore rependere videtur; nam rem familiarem tunc ut plurimum Eminentissimus noster Laurentius augere videtur, cum in manus pauperum amplissimos thesauros deportat. Anno 1720 cum Principi Carolo Albano, dignissimo Pontificis ex fratre Horatio nepoti Filius progigneretur, Eminentissimus Purpuratus Magni Hetruriæ Principis nomine eundem è sacro Baptismatis fonte levavit, Deo & Christiano orbi novam creaturam initiaturus, qui omnia sua Deo consecrabit. Enimvero magni Hetruriæ principis in eum amor tantopere semper invaluit, ut in maximis quibusvis negotiis, Hetruriæ principatum concernentibus, eum in aulâ Pontificiâ adhiberi voluerit; fuit & alius Corsini temporibus Corsinus, qui ab hoc sapientissimo Nestore in aulam Parisiensem ablegabatur, tantâ sui commendatione eâ legatione functus, ut reversum magnificè princeps remuneraretur. Certè iidem esse Corsini Florentinis videntur, quales olim Athenienses & Areopagitæ suis visi; videlicet prudentiæ oracula, sacre religionis fulcra, & patriæ suæ singularia Ornamenta. Hinc factum videtur, ut, cum Ao. 1724 in sacro Conclavi de eligendo novo pontifice ageretur, multorum sermonibus Eminentissimus Corsinus in eam spem designaretur; ea enim est tua, Sacra Roma, gloria, ut in spem, quæ non nisi unum capit, plures eximios alas, oceano sapientiæ, non exhauriendo similis. Tunc quidem Eminentissimo nostro purpurato, velut alteri Patroclo etiam jucundum erat, suum pro se Achillem, qui ex Malachiæ effato *Miles in bello*, eoque sacro futurus esset, eò fastigii sublatum, immarcescibili Coronâ utriusque, Orsino & Corsino (quam prope paribus) reposita in caelis.